



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Anthologia Sacra

Ex Probatissimis Vtrivsqve Linguæ patribus collecta, atque Octastichis
versibus comprehensa

Billy, Jacques de

Parisiis, M.D.LXXV.

Dei gratiam, nisi pulsus vitiis, excipi non posse. 109.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50828](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50828)

SACRA
Dei gratiam, nisi pulsis vitiis,
excipi non posse.

109.

*Gratia parca Dei non est: sed prodiga sese,
Si vacua inueniat pectora, fundit eis.
Cor vitis purga, sit aceti pectus inane:
Protinus athereus proluet ora liquor.
Ipse cados affer vacuos: oleumque repente
Influet, et subitas conciliabit opes.
Nam vacuis vasis ut cœperis ipse carere,
Non, tibi qui stillet, iam liquor ullus erit.*

SCHOLIA.

Hæc ego dum veterum.) Tatum,
inquit Augustinus, nos exercet
sanctum desiderium quantum de-
sideria nostra amputauerimus ab
amore seculi. Exinani quod im-
plendum est. Bono implendus es:
funde malum. Puta quia melle te
vult implere Deus. Si aceto ple-
nus es, ubi mel pones? Funden-
dum est quod portas vas: mun-
dandum est ipsum vas. Hæc Au-
gustinus. Quibus non dissimile
est id quod epist. i. scribit Basilus:

Ita demum cor præparatur, cum
eæ doctrinæ dediscuntur, quæ
praua cōsuetudine sedem in ipso
occupauerunt. Nam neque in ta-
bulis cereis scribere possis, nisi
prius literas induxeris, quæ antè
scriptæ fuerunt. neque animæ
prius diuina placita accommo-
daris, quàm anticipatas opinio-
nes ab ea exemeris.

Ipse cados affer vacuos.) Bernar-
dus serm. 2. de Ascēs. tepiditatem
nostram hinc nasci ait, quòd no-
ster affectus. i. voluntas nostra
nondum purgata sit. Amant, in-
quit, in carne sua terrenas conso-
latiūculas. Inde est quòd rarò af-
fectiones suas dirigunt in Deum,
& eorum compunctio non con-
tinua, sed horaria est. Impleri au-
tē visitationibus Dei anima non
potest, quæ his distractionibus
subiacet. Et quantò magis illis

z iij

S A C R A

euacuabitur, tantò ampliùs istis implebitur: si multum, multum, si parum, parum. Vel, si magis probas, nūquam istæ illis misceri poterūt: quia vbi vasa vacua non inuenit, oleum stare necesse est, nec mittūt vinum nouum nisi in vtres nouos, vt ambo cōseruētur. Si enim Apostoli adhuc carni Dominicæ inhærētes, quæ sola sancta, quia sancti sanctorum erat, spiritu sãcto repleti nequiuērūt, donec tolleretur ab eis, tu carni tuæ, quæ sordidissima est, astrictus & conglutinator, illum meracissimum spiritum te posse putas suscipere, nisi carneis istis cōsolationibus funditus renunciare tentaueris? Eodēque modo ferm. 6. de eod. festo ad hunc modum loquitur: Profectò nec avarus nec inops est gratiæ distributor, sed vbi vasa vacua desunt,

stare oleū necesse est. Vndique se
ingerit amor mūdi cū cōsolatio-
nibus, imò desolationibus suis.
Osseruat aditus, per fenestras ir-
ruit: mētem occupat: sed nō eius
qui dixit, Renuit consolari ani-
ma mea: memor fui Dei & dele-
ctatus sum. Preoccupatum nem-
pe secularibus desideriis animū
delectatio sãcta declinat: nec mi-
sceri poterunt vera vanis, æterna
caducis, spiritualia corporalib⁹,
sūma imis, vt pariter sapias quæ
sursum sunt & quæ super terram.

Vitam sanctam plus terroris
habere, quàm veræ
asperitatis.

110.

*D*ura Deus iubet Abrahamo: quid durius vnguā
Esse queat sobolem quàm iugulare suam?
Nec tamen, ad mortem promptus licet ille, necatur:
Verū aries madidam sanguine reddit humum.
Cum tibi vox igitur varios diuina labores

z. iiii